

sui ipsius, & Sp. S. Opus enim illud ad extra, omnibus tribus
 personis commune fuisse, in expositione τῆ ἐπελεύσειαι πνεῦμα
 ἅγιον §. 3. jam monuimus. Accepisset insuper ita per generatio-
 nem in tempore novum patrem ob ipsam generationem; quod
 expresse Scr. S. contrariatur, quæ Hebr. VII, 3. Christum s.
 H. N. ἀπάτορα esse profitetur. Unde nos in ea sententia per-
 sistimus, τὸ γεννώμενον ἅγιον *verum ac naturalem DEI Filium,*
ob unionem hypostaticam in ἐπισκιασμῷ factam, vocari, non se-
 cus ac λόγος, ob propriam generationem æternam, per se Filii
 DEI veri & naturalis, nomine compellatur. Sicut contra &
 vocabulum Θεῦ hic personaliter, pro sola prima S. S. Trinita-
 tis persona nobis venit, quam solam τῆ λόγος patrem Sacr. S.
 agnoscit. Et hoc est *nomen illud,* quod διαφορώτερον παρ ἀγγέ-
 λους κληρονομήκε Christus homo, juxta Hebr. I. 4. & propter
 quod angeli ipsum adorare tenentur, ib. vers. 6. & Philipp. II.
 vers. 10. longe sublimius eo, quod nobis ex gratia dedit Joh.
 I, 12, Gal. III, 26. Hoc nomine, inquit angelus, *vocabitur;* κλη-
 θήσεται, *non καλεῖται,* ut & ex hoc manifestū esset, ad H. N. id per-
 tinere, non ad D., secundum quam jam & erat, & vocabatur Filius
 Dei. Nec κληθήσεται mente *Piscatoris,* qui in Glossa ad hunc locum
vocari, τῷ vere esse, opponere, & casu refutatione indigno,
 Christo nudum titulum sine re relinquere videtur; sed more
 Hebræorum, quibus *vocari* sæpissime stat *pro revera esse,* uti
 commemorat Glass. Phil. S. Libr. III. Tr. III. c. 16. p. 275. *Vo-*
cabitur ergo, & quoque revera erit, natum ex Maria sanctum
 Filius DEI. Neque dubitamus, quin τὸ *vocabitur,* & non sim-
 pliciter τὸ *erit,* adhibitum sit ab angelo, ut constaret, eum ex
 omnium & quorumvis confessione talem fore; prophetia qua-
 si facta de illustribus professionibus, quæ de hac re à DEO,
hominibus, imo ipsis *Diabolis* deinceps edendæ erant. Sic
 enim publice proclamatus est à *Patre* suo. Matth. III, 17. &
 XVII, 5. Sic *de se ipso* locutus est Matth. XXVI, 64. Joh. IX,
 37. Sic testimonium accepit à *Spir. S.* Joh. XX, 31. Hunc eum
 professus est *Petrus,* nomine omnium *Apostolorum,* Matth.
 XVI, 16. *Nathanael* verus *Israelita,* Johan. I, 50. *Centurio*
Ethnicus, Matth. XXVII, 54. *Maria mulier,* Joh. XI, 27. *Universus*
populus, Matth. XIV, 33. Imo ipsi denique *diaboli.* Luc. IV,
 41. VIII, 28. His in ll. vere impleta angeli prædictio τὸ γεν-